



**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

15 De quatuor Apocryphis vniuersalibus quo tempore fuerint habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

CAPVT XV.

Rurfus ex Gelasio de quatuor Conciliis vniuersalibus, quæ prima fuerit.

SYMMARIA.

1. Nicæna Synodus, quo tempore fuerit celebrata.
2. Synodus secunda Constantinopolitana.
3. Synodus tertia Ephesina.
4. Synodus quarta Chalcedonenfis.

Et quamvis aliud fundamentum non possit ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, tamen ad adificationem nostram eadem sancta Romana ecclesia post illas veteris, & noui Testamenti, quas regulas nos suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas. Sanctam synodum Nicænam recentiorum decem & octo patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hereticus condemnatus est. Sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hereticus debitam damnationem accepit. Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, cum consensu beatissimi Cælestini Papæ mediante Carillo Alexandrino sedis antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destituto, sanctam synodum Chalcedonensem mediante Mariano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo in qua Nestoriani, & Eutichiani hereses simul cum Dioscoro, eiusque complicibus damnate sunt. Sed & si quæ sint concilia à sanctis patribus hæcenus instituta, præter ista quatuor auctoritatem, & custodienda, & recipienda decernimus. Hæc Gelasius.

Sanctam synodum Nicænam. Quamvis Nicænam I synodum aliquot Concilia præcesserint, quorum quedam fuerit provincialia, quedam ad fuerit generalia, quedam vniuersalia ratione auctoritatis, & conciliorum vniuersalium quo ad auctoritatem origo processerit ab ipsorum Apostolorum temporibus, *Act. cap. 15.* Vniuersalia tamē concilia ratione auctoritatis simul, & congregatiōnis, ætate Constantini Magni primū & occurrerunt, omniumque prima Synodus vere vniuersalis, & Occidentica fuit hæc Nicæna, cuius à Gelasio mentio fit hoc in capite. Etenim teste Isidoro *lib. 6. Etymologiae. cap. 16.* cuius Gratianus meminit *cap. 1. distinctione. 15.* Canones conciliorum generalium à temporibus Constantinianis cæperunt. Constantinus etenim Magnus primus omnium permisit Episcopis totius orbis, vt in vnum locum conuenirent, ac conuenire possent: cum ante ipsum sequentibus in Christianis imperatoribus minime possent ecclesiæ Catholicae præfules in vnum conuenire locum, vt plebem Christianam docerent, ne in diuersas hereses scinderetur, quemadmodum & idem Isidorus testatur qua ratione frequentissime multis in locis Nicæna synodus omnium prima censeretur. *cap. quoniam sancta. cap. 6. dist. 11. nos reddentes. C. de summa trinitate. l. quicumque. C. de heres. Anthem. de ecclesiis. in princ. quæ de re diligenter tractat illustri admodum, multisque titulis obseruatissimum. Didacus Alana, & Esquiuel. olim Abulensis, nunc vero Cordubensis Ecclesiæ præful ornatusissimus, ex iuris Pontificij, ac Cæsaris disciplina laboreque indefesso, cui Salmanticæ in celebratissimo sanctissimi Saluatoris collegio operâ decesserat, ad multam prouectus eruditione, quæ cum tot apud Cæsarem Carolum, eiusque primogenitum Hispaniarum Regem Philippum magistratibus insigniter, maximaque cum laude gestis, illustrissimum fecit. Is inquam in *lib. 1. de concilio, cap. 1.* plurima tradit de conciliorum origine, deque eorum antiquitate, ex quibus & nos hoc in loco multa mutabimur ad Gelasii interpretationem, nonnullaque adiciemus ex veterum historicorum monumentis.*

Trecentorum decem & octo patrum.) Idem constat numerus ex epistola Syuellri Papæ ad Nicænam synodum, idem scribere Eusebium & Hermanus Contractus, in chronici. Theodoretus *lib. 1. cap. 7.* Socrates *lib. 1. cap. 9.* Rufinus *lib. 10. histor. Ecclesiasticæ. cap. 2.* Platina in Syluestro. Isidorus *lib. 6. Etymol. cap. 16. cap. 16. dist. 11.* Isidorus item in princ. concil. *cap. 1. dist. 16.* Beda de temporibus *c. 5. c. 6. synodus 15. dist. 1.* Sed & Sozomenus *lib. 1. c. 17.* testatur, trecentum, & viginti Episcopos conuenisse in ea synodo. Socrates *lib. 7. c. 7.* numerum Episcoporum excellenter trecentum scribit, ex Eusebio *libro 3. de vita Constantini.* apud quem legitur, multitudinem Episcoporum excessisse numerum ducentorum, & quinquaginta. rursus Nicephorus *lib. 8. c. 14.* asseuerat, congregatos fuisse circiter trecentum, decem & octo Episcopos. Præter hæc Damasus apud Gratianum in *c. hanc 10. q. 1.* & monachorum regula, *c. de contemplatione.* huius synodi facta mentione trecentum Episcopos connumerant, quos iure optimo poteris comparare trecentum illis viris iudicio di-

uino electis, qui duce Cedeone Madianitas, id est, Arrianos Ecclesiæ infestissimos hereticos, euerterunt, & profligarunt *Ind. cap. 7.* aut potius trecentum, decem & octo vernaculis Abraham, quibus beatus Abraham tot hostium millia fide de bellauit, *Gen. c. 14.* quo testimonio vitur hac in re Liberius Papa in epistola ad orientales, cuius meminit Nicephorus *lib. 11. c. 8.*

Mediante Maximo Constantino Augusto.) Hanc sacrosactam synodum congregatam fuisse sub Constantino Magno, conueniunt omnes, nec id negari poterit. Quo vero anno fuerit celebrata adeo cõtrouersum est, vt nihil certum hac de re definiiri possit, quauis constat ex epistola Olij Cordubensis Episcopi quæ huius concilii Canonibus adiicitur, canones, aliaque eius synodi decreta missa fuisse ad Syluestrum Papam Paulino, & Iuliano consulibus. Idem consulum titulus Canonibus huius synodi præmittitur in primo Conciliorum tomo. Qui quidem consules conueniunt auctoribus Cassiodoro, & Haloandro anno decimo septimo Imperij Constantiniani. Annus vero decimus septimus Imperij Constantiniani est à natiuitate Christi *c. c. x. v. i. iura eisdem Haloandri, Eusebij, & Ioan. Lucidi Chronologiam.* Æra tamen præscripta his Canonibus, & consulibus eisdem *c. c. l. x. i. i. n. o.* omnino conuenit huic numero, sed anno potius Dom. cccxxv. Sed & Socrates *lib. 1. prima. ca. 13.* & Nicephorus *lib. 8. cap. 26.* scribunt, hoc concilium incidisse in annum dcccxxvi. ab Alex. Magni principatu, in quo consules erant Paulinus, & Iulianus. Ex quibus auctoribus illud annotauerim, quod de consulibus tradidere, vt conueniant his, quæ paulo ante obseruauimus. Quod vero de annis ab Alexand. imperio scribunt, non satis certum est, quemadmodum statim tractabitur. Ceterum Sozomenus *lib. 1. ca. vlt. Cassiodor. lib. 2. Tripart. c. 14.* & Nicephorus *lib. 8. c. 26.* commemorant, Constantinum Magnum Nicæna peracto concilio statim Vicennalia celebrasse, Episcoposque omnes synodi conuiuio excepisse. Socrates vero *lib. 1. ca. 16.* & ex eo Cassiodorus *lib. 2. Tripart. ca. 18.* nulla facta conuinij mentione asseuerant, statim peracto concilio Vicennalia Constantinum celebrasse. Quæ quidem ratione adducor, vt existimem, synodum hæc Nicænam initium habuisse anno vicelesimo eiusdem principatus. Nam & ipse Nicephorus scribit, synodum annis tribus & paulo longius actam esse. Sic sane Ioan. Abb. tradit, hæc synodum celebratam esse anno vicelesimo Constantiniani, qui conuenit anno Dom. cccxx. Potuit enim Abbas Bielariensis tempus, quo synodus finita fuit, obseruasse, atque hæc mihi certior opinio videtur. Ex qua asseuerari poterit, hæc synodus finem accepisse anno vicelesimo Constantiniani, aut paulo ante prope anni decimononem exitum annis vero tribus vel quatuor actum esse: atque ideo ceptum vel anno decimo septimo Constantiniani, vel decimo sexto vel decimo quinto: præsertim si rationem habeamus eius temporis, quo Imperator decreuit synodum istam celebrandam fore. Denique Eusebius in Chronicis eius congregationem tribuit anno decimo quinto Constantiniani, & à Christi natiuitate, an. cccxxi. i. i. Æra vero conuenit anno Dom. cccxxvi. Consules anno tricesimo vigesimo quinto. Quod equidem discrimen oriri potuit vel ex varia consulum obseruatione: neque enim chronologi hæc in re vbiq; conueniunt: vt constat ex Dionysio Halicarn. T. Liuii Cassiodoro, Haloandro, & Glarcano, vel eo tempore, quo synodus ista Nicæna mansit illic congregata, vel fortassis ex eo, quod non omnino conueniat inter historicos de initio principatus Constantiniani. Siquidem Socrates *lib. 1. ca. vlt.* scribit Constantinum anno trigesimo primo Imperij mortem obiisse, anno secundo Olympiadis 278. 23. die mensis Maii, Feliciano, & Tatiano consulibus: quos consules, & vicelesimum primū diem mensis Maii mortis Constantiniani adscribit Nicephorus *lib. 8. c. 54.* Annū tamen refert in secundo Olympiadis 287. Sed error fuit fortassis scriptoris, & tamen Hieronymus, Haloander, & Ioannes Lucidus eius mortem adscribunt anno secundo Olympiadis 279. Hieron. quidem anno Dom. 340. Haloander, & Lucidus anno Dom. 339. à quibus etiā differt Hermannus Contractus in Chronicis, Nicephorus *lib. 8. c. vlt.* asseuerat Constantinū mortem obiisse anno Imperij 32. & à natiuitate domini 342. ex quo Vicennalia Constantiniani conueniunt anno Domini 30. aut 29. Nos hæc in re secuti sumus eam temporis rationem, quæ nobis visa fuit apud auctores frequentior, quæque magis conuenit his, quæ de hac synodo ab eisdem tractantur. Quamobrem huius concilii solutionem, & finem tribuimus anno Domini fere cccxxix. initium vero

vero anno Domini cccxxv. aut xxxi. secundum Eusebium Nam quod Hermannus Contractus, & Ioannes Lucidus tradidere tribuentes hanc synodum anno Domini cccxxi. non satis conuenit exacta rationi temporum: quemadmodum nec quod Nicephorus scribit de tertia indictione. Ea etenim indictio conuenit anno Domini cccxxx. nec potuit conuenire anno illi, quo consules fuere Paulinus, & Iulianus. Sic quod de annis Alexandri idem Nicephorus, & Socrates obseruauerunt: plurimum dissidet à vera temporum ratione. Nam siue sequamur Eusebium, siue alios, & imperium Alexandri præcesserit annos Domini, eiusque natale triginta annis supra ccc. siue xxv. siue xxxi. adhuc dcccxxvi. annus Alexandri non potest aptari synodo Nicænæ: nisi ea foret congregata anno domini cccxxv. Qui quidem annus minime conuenit consulibus adscriptis, quauis conueniat indictioni tertiæ. Et licet hic annus fuerit obseruatus in adnotationibus ad acta, & Canones huius concilij ex Dionysio Ciclo in primo Conciliorum tomo: Consules tamen, & alia temporis signa minime possunt huic anno conuenire. Et ne mihi quis obiciat eam Chronologiam, qua videtur Rex Alphonfus in præmio Partitarum, respondeo, multum ab historicis, à veraque ratione temporum abesse computationem illam, quæ illic traditur. quod alibi longius explicabimus.

Ex quibus obiter erit obseruandum, Constantinum Vicensalia celebrasse Nicæ, ubi & synodus congregata fuit, si vera sunt, quæ Socrates, Sozomenus, & Cassiodorus in Tripartita, & Nicephorus tradidere: tametsi Eusebius in chronicis, & idem Cassiodorus in catalogo consulum, & Imperatorum scripserint, ea Nicomediæ celebrata fuisse. Vtraque vero vrbs ad Bithyniam pertinet. quæ vero sint Vicensalia. ac decennalia nos alibi explicauimus ex Dione. lib. 53.

Sed & illud plane apparet. concilium hoc Nicænū congregatum fuisse, utcumque sit de ipsius tempore, sub Syluestro Papa huius nominis primo, qui legatos ad eam synodum misit Vitum, & Vincentium. Hic etenim fuere legati sedis Apostolicæ: sicut commemorat Socrates lib. 1. cap. 13. Sozomenus lib. 1. cap. 17. Cassiodorus lib. 1. cap. Tripart. cap. vlt. li. 2. c. 1. & c. 13. Nicephorus li. 8. c. 14. & idem constat ex huius synodi actis primo conciliorum Tomo, ubi quandoque Vitus legatus Victor appellatur, ut à plerisque. Et quamuis ex his auctoribus sit certum, hos legatos missos fuisse à Romano Pontifice ad synodum istam, nec omnes conueniant an à Syluestro fuerint destinati. Imo Sozomenus in d. ca. 17. & li. 2. Tripart. ca. 1. Nicephorus in d. cap. 14. asseruerunt, à Iulio Papa primo eos missos fuisse hisque consentire videantur Beda lib. de tempor. cap. 65. Gratianus in c. 6. synodus. 16. dist. & Hermannus Contractus in Chronicis, qui hoc concilium sub Iulio Papa primo constituerunt. Constantem tamen est asseruerunt, sub Syluestro Papa primo synodum istam contigisse, ceptam & peractam esse. Quod ratio temporum manifeste probat. Nec enim potest hæc synodus Iulio conuenire, qui post Marcum pontificem, qui Syluestro iam synodo acta successit, electus est ad summum pontificatum. Quod omnes historici fatentur, ac potissimum sub Syluestro. Nicænā synodum actam fuisse, testantur Euseb. Hieron. & Ioa. Lucidus in chronicis. Platina in Syluestro. Isidorus in principio conciliorum. c. prima autem 16. dist. Sed & Iulius Papa primus eam dignitatem accepit mortuo Constantino: sicut ex Platina, & aliis constat. tametsi Hieronymus in hoc dissentiat. Adeo tamen verum mihi videtur, hos auctores, qui synodum istam. Iulio Pontifici tribuere, omnino errasse, ut existimem ubique, ne tantum errorem viris diligentissimis tribuam, pro Syluestro scribentium errore Iulium nominari. Quis enim ferat, Hermannum Contractum in chronicis scribere, Nicænā synodū congregatam fuisse sub Iulio eo anno, quo secundum eundem adhuc Syluester summus pontifex ecclesiam Romanā regebat? Nam & ipsemet auctor postquā meminerat huius concilij, eiusque congregationis annis octo ab eo dinumeratis meminuit Marci summi Pontificis. eiusque electionis, ac deinde Iulij primi. Sunt & alia, quæ opinionē istā verissimā esse probant, quæ modo missa facio, illud vltimo adiciens quod pertinet ad intelligendum ea, quæ de die huius concilij in primo conciliorum Tomo prænotantur. Sie enim scriptum extat. Dicitur autem celebrata hæc synodus die mensis secundum Græcos Desij XIX. hoc est 17. Cal. Iul. consu-

latu Paulini, & Iuliani. Hæc ibi. Est enim obseruandum apud Macedonas, quos secuti sunt hæc in r. Græci Alexan. mensis Iunium dici Desium. Quod deducitur ex Plutarcho in Alexand. Suida & Eusebio li. 8. Eccl. lib. 92. Anselmo lib. 2. de imagine mundi, c. 6. Sed rursus in adnotationibus eisdem in primo conciliorum Tomo. scribitur, conuenisse hoc concilium, aut canones edisse postquam conuenerat, consulatu Paulini, & Iuliani XIII. Calend. Iulij qui est apud Græcos XVIII. dies mensis eorum. mensis autem hic, ut opinor, Desius intelligitur, ut modo dixi, Iunius est apud Latinos. Est autem dies 13. Calend. Iul. 18. mensis Iunij, quia secundum Alexan. mensis Desius apud eos habet dies 31. sicuti & in d. primo conciliorum tomo adnotatur. prior etenim adnotatio fuit per posteriorem correpta: maxime quia prior obseruatur congruum Calendarum rationem: cum dies 29 Iunij non sit, nec dici possit 17. Cal. Iul. Socrates vero lib. 1. cap. 12. diem huius concilij commemorat vicesimam mensis Maij, & Nicephorus li. 8. c. 26. eiusdem mensis diem vndecimam.

In qua Arrius hæreticus condemnatus est. Presbyter enim quidam nomine Arrius apud Alexandriam, gloriæ & nouitatis improba cupidus, studio perturbandi catholicam Ecclesiam, ut ea in partes varias discissa, locum illum honoris hoc in seculo possit consequi, quem in ecclesia recte instituta, catholica, & unanimi minime possit propter fidem, & simulatam religionem obtinere; praua quædam de Christi fide, & quæ prius nunquam in controcensuram venerant, proferre, ac defendere molitur, ab illa æterna, ineffabili, dei patris substantia, vel natura filium abscindere, & separare conatus. Dedit tamen hic vir impiorum omnium caput, & ductor tanti sceleris, ex vltione diuina penas meritissimas, dignasque tam infando flagitio. Si quidem cum in publicum Constantinopoli ex Imperatoris Constantini Magni, quem tunc decipere satagabat, palatio satellitibus minutus insolenter prodiret, virgineque ventris laxitate in secessum publicum qui in propinquo erat, venisset, ibi animo eum defecto, sua sponte incrementa effluunt, multus sanguis effunditur, constitutoque interna corporis omnis, vna cum intestinis, hepate, & sple, diffuit, atque ita ille Hæretiarum perit, auctoribus Socrate li. 1. c. 38. Theodoro li. 1. c. 14. Sozomeno li. 2. c. 29. & 30. ac Nicephoro li. 8. c. 51.

Sancitā synodum Constantinopolitanam mediā in Theodosio seniori Augusto. Hæc synodus secunda inter vniuersales congregata fuit Constantinopoli sub Theodosio seniori anno secundo eiusdem imperij, & à natuitate Domini 383. Ex Prospero Aquitanico, & Ioan. Lucido in chronicis quibus accedit, quod licet ipse Aquitanicus Syagrium, & Eucherium consules tribuat anno 84. & tertio Theodosij, Halander tamen hos consules adscribit secundo anno Theodosij, & octuagesimo tertio. His vero consulibus hoc concilium celebratum fuisse constat, ex ipsius synodi titulo, & Cassiodoro lib. 9. Tripart. cap. 12. Marcellino Comite in chronico. Socrate lib. 5. c. 8 sunt qui existimant, hanc synodū celebratā fuisse anno Domini 381. adhuc temporibus Gratiani, & Theodosij quibus suffragatur & ita huic synodo in primo conciliorum tomo assignata & adscripta 419. quæ anno à Natuitate 381. conuenit, sicut & indictio nona, quæ à Marcellino Comite eidem synodo apratur. Sed & Hermannus Contractus in chronicis huic computationi maxime consentit, quippe qui hanc synodū tribuat anno tertio Theodosij, & anno Domini 381. quod si verum est, auctore Piella, hanc synodum contigisse post primam anno quinquagesimo sexto, sitque admittenda temporis ratio ex Ætra vtrique synodo apposta, constat plane annum 384. esse huic synodo adscribendum: siquidem post annos 325. si addideris quinquaginta & sex, constabit vere numerus hic, quem signauimus. Etenim Nicænā synodus anno Domini 325. fuit celebrata, illud sane apud omnes absque ulla controcensura est constitutissimum, hoc concilium temporibus Gratiani, & Theodosij principum contigisse. Nam omnes paulo ante citati anno secundo, tertio, vel ad summum quinto Theodosij hanc synodum tribuendam esse censent, & Socrates anno tertio iuxta consularis ordinem tribuere videtur ante Gratiani obitum. Idem tradit Marcellinus Comes. Etenim Gratianus anno quinto, vel sexto imperij communis cum Theodosio, occiditur, apud Lugdunum iuxta chronolog. am Aethanici Marcellini, Cassiodori, & aliorum, Ex quibus satis deducitur sub Gratiano, & Theo-

& Theodasio hanc synodum celebratam fuisse. quo & Sozomenus & Nicephorus farentur, qui ordinē rerum gestarū obleruantes, huius concilij acta scripsere, priuquam Gratiani mortem cōmemorauerint. Idem fecere Aquitanicus, Hermannus Contractus, ac Ioa. Lucidus. & Isidorus in *prime conciliorum, 6. prima autem synodus, 16. dist. hoc concilium Gratiāno & Theodosio seniore cōtigisse scribit, Gelasius vero in hoc loco, & Isidorus li. 6. Etymol. c. 16. & c. 1. dist. 15. ex cō synodum istam imperio tantum Theodosij adscribere, quod ipse, & Gratian. imperij censores essent, & Theodosius Constantinopolim, Græciam: Thraciam, & reliquas orientis partes obtineret, Gratianus vero Italiam, & occidentem, visum eisdem historicis fuit in huius synodi commemoratione rationem tantum habere illius imperatoris, qui vrbe illam, vbi celebrata fuit, & eam sprouinciam imperatoris tunc, & nomine regebat. Rursus Beda in *lido temp. c. 65. c. sexta synodus, 16. dist. hoc concilium Gratiāno tantum tribuit, ex eo forsan, quod Gratianus primum Romanum imperium obtinuerit, ac demum Theodosium socium imperij fecerit eo insignes viri mores & fortitudinē. Ex quo Beda visum est, imperij nomen potissimum penes Gratianū fuisse. Ceterum quod Pellus & Faustinus Cretensis in Epitome de tempore huius synodi tradidere, nulla ratione congruit his quæ chronologi frequenter consensu scribunt. Etenim cū Pellus Nicenam synodum anno Domini 333. adnumerasset, & hanc post eam anno 56. contigisse tradiderit palā fatetur, hanc synodum esse tribuendam anno domini 388. eodem anno eam tribuit Faustinus, & anno Theodosij quinto. Conueniunt etenim omnes Gratianum occisum fuisse ante annum domini 388. idque deducitur ex Paulo Diacono obleruata diligenter ratione tēporis ab vrbe cōdita. & a natiuitate Domini Iesu Christi, ex Eusebio, Glariano, Haloandro, & aliis: quamuis Nicephorus li. 1. c. 11. plurimum ab aliis dissentiat in initio principatus, Gratiani, & Theodosij, qui post Valentem imperium obtinuerit scribit eam Valentem occisum fuisse anno domini 386.**

Huius synodo, quæ secundū omnes sub Damaso Papa celebrata fuit, subseripere centū quinquaginta Episcopi. iuxta synodus, c. 1. 16. dist. ex Isidoro. Idem constat ex aliis authoribus ecclesiasticis, qui huius synodi meminere: tamen si præter hos Episcopos catholicos, presentes fuerint triginta Episcopi hæretici ex Macedonianis: quemadmodum Socrates, Sozomenus, & Nicephorus scripserunt.

In qua Macedonius hæreticus debitam damnationem accepit. Macedonius quidā Constantinopolitanus Episcopus, tempore Constantinij Imperatoris, & Liberij Papæ fidem Catholicam, & orthodoxos euertere conatus hæresi nefandissima Spiritū sanctū impetiuit: asserens, Spiritū sanctū esse minorem patrē, & filio, & non esse eiusdem substantiæ cū patrē, sed esse veram creaturam. ab hoc Macedoniana hæresis appellata est: eiusq; lætatores Macedoniani. Quorū impiū dogma fuit in hac synodo Constantinopolitana omnino improbatum, recepta catholica assertione, secundum quā credimus in Spiritum sanctum dominum ac Deum patri, & filio consubstantialē, cōequalem, cōæternum, cōomnipotentem: quod & synodus Ephesina, synodus Chalcedoniensis, & Innoc. tertius concilio generali docuerunt, c. 1. de summa trinit. & fide cath. Scripsere contra hæresim istam Didymus Alexandrin. à D. Hier. latinitate donatus, Basilius aduersus Eunomium, & diuus Ambrosius ad Gratianum imperatorem libros tres de Spiritu sancto de hac synodo diuus Greg. li. 6. epist. 195. scribit ecclesiam Romanam eius canones, vel gesta non habere, nec accipere: reprobationem vero hæresis Macedonianæ, & aliarum probare, & admittere. Id vero scripsit Greg. propter primatum, qui datus fuit in hac synodo, Constantinopolitanæ ecclesiæ: prae etenim à quibusdam canon de hoc primatu intelligebatur. Nos equidē eius verum intellectum superius explicimus.

Sanctam synodum Ephesinam. Hæc est tertia generalis synodus, quæ apud Ephesum Asiæ minoris maritimam vrbe congregata fuit anno domini 430. secundum Faustinum Cretensem in epitome. Idem deducitur ex Acta 468. qua hoc concilium celebratum fuisse in primo Conciliorum tomo legimus. Huic opinioni patrocinatur indictio decemateria, quæ à Marcellino Comite huic synodo adscribitur, & cōuenit anno 430. Hermannus Contractus in Chronicis hanc synodum scribit celebratam fuisse anno Domini 431. si obleruamus eius synodi mentionem scriptam

esse à regione eiusdem anni, vt modo in vulgatis codicibus fertur appolita, & post electionem Sixti Papa qui Calestino successit. Et tamen ipse Herman. Contractus fatetur eam contigisse sub Calestino Papa, vt apud me non leuis sit coniectura, ordinem mutatum fuisse chalcographorum errore: sitq; hæc synodus ex Hermani sententia tribuenda anno septimo Theodosij, & Domini 430. His accedit, quod Marcellinus Comes huic synodo aptat consules Theodosium 13. & Valentinianum 3. idemque in primo Conciliorum tomo ad hanc synodum prænotatur. qui consules auctore Cassiodoro, atq; item Haloandro conueniunt anno septimo Theodosij, rursus vt lector satis intelligat, quantum discrimen sit quacunque in re apud historicos in obseruanda exacte ratione temporis erit obseruandū. Prosperū Aquitanicum hanc synodū tribuisse anno 8. Theodosij Iunioris, & anno Domini 434. consulis Basio, & Antiocho quibus consulis hanc synodum congregatam fuisse testis est Socrates li. septimo. c. 34. post eum Cassiodorus. 12. Tripart. c. 5. qui & in chronicis eisdem consules aptat anno octauo Theodosij, idem obseruari poterit ex Haloandro, qui tamen his consulis comparat annum Domini 433. quo anno Ioan. Lucidus hoc conciliū assererat cōtigisse ex Prospero Aquitanico. Pellus vero scribit, post quadraginta annos à secunda synodo tertiam fuisse celebratam. Nicephorus li. 14. c. 3. à secunda ad tertiam synodum quadraginta & vnum connumerat. Verum apud omnes constat hanc synodum celebratam fuisse temporibus Calestini Papæ & Theodosij Iunioris, quemadmodum ex præcatis authoribus facillime lector poterit deducere, & ex Euagriō li. 1. ecclesiast. histor. idque Gelasius hoc in capite de Calestino testatur. & Theodosio Iunioris. Isidorus c. 1. 15. dist. de vtroq; idē Isidorus capitul. prima autē synodus. 16. dist. vt plane sit manifestus error apud Beda. de tempor. c. 6. 15. dist. hanc synodū tribuere tēporibus Theodosij Magni. Annos vero Theodosij Iunioris in hac computatione intelligo à morte Honorij, quæ contigit Asclepiodoro, & Mariano consulis: authoribus Socrate li. 7. c. 22. Cassiodoro, & Marcellino. Anno Dom. 425. iuxta chronologiā Haloandri, qui parum hæc in re à Prospero, & aliis dissentit. Etenim tunc nepe ab anno 426. incepit Theodosij solius Imperium, quamuis Nicephorus scripserit, non multo post Arcadiū perisse Honorium hydrope. Honorius vero confortem imperij fecerat Theodosij Iunioris anno Dom. 410. iuxta chronologiā Prosperi Aquitanici, Io. Lucidi, & Haloand. quibus fere cōsentire videtur Hermanus Contractus, & ante ipsum Socrates in d. 7. c. 1. qui commemorat, hoc actū esse Basio, & Philippo consulis, qui anno Dom. 410. conueniunt, addit Socrates, eo tempore mortē obiisse Arcadiū patrem Theodosij, ac eundem Theodosium reliquisse puerū 8. annorū, anno secundo Olympiadis 297. qui quidē annus respondet anno domini 411. & tamen apud Nicephorū li. 13. c. 11. Arcadius moritur anno domini 418. cum Theodosius octennis esset. Ex his tandē authoribus communi consensu receptū est, etiam si Nicephorus in hoc dissentiat, Theodosij Iunioris rem cum Honorio 16. annis regnasse, vt miret, qua ratione Marcellinus Comes 22. annos Honorio simul, & Theodosio tribuat: & scripserit, synodum istam anno Theodosij 30. contigisse: nisi rationem habeamus eius temporis, quo Theodosius Iunior anno ætatis secundo Cæsar creatus est, Arcadio A. V. & Honorio A. V. consulis, anno domini 404. hinc etenim rationem temporis sequi videntur Marcellinus, & Haloander. Quamobrem consentit Marcellinus Prospero in anno huius concilij, vt sit natiuitate Domini 34. post quadringentesimum. nisi indictionis numerus repugnet.

In qua Nestorius damnatus est. Hic Nestorius episcopus Constantinopolitanus in eam incidit hæresim, vt assereret, purum hominem ex sancta virgine Maria natum fuisse vt aliā personam carnis, aliam faceret deitatis. Huius hæresis damnata fuit in hoc concilio tertio Ephesino, autoritate Calestini Papæ. conuenere autem in hanc synodū ducenti Episcopi, authoribus Prospero, Marcellino, & Isidoro in d. ca. 1. dist. 15. tamen si Beda in d. de tempor. c. sexta synodus. 16. dist. & Herm. Contractus ceterum tantum meminerint, & Isidorus in c. prima autem. 16. dist. tertium episcoporum mentionem fecerit. Nicephorus vero scripsit, circiter centum & triginta Episcopos huic synodo presentes fuisse.

Mediane Cyrillo Alexandrina sedis antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato. Cyrillum hæc in synodo legatū fuisse sedis A-

postolice, eiusque vicarium ex commissione, ac delegatione Cælestini Papæ scribunt Euagrius, Nicephorus, & Marcellinus Comes. Hi vero authores Arcadij ab Italia destinati nequaquam meminere. Aduersus hanc Nestorij heresim scripsere præter alios & huius decreti author Gelasius qui librum scripsit de duab. naturis in vna persona. Et aliorum meminit Alfonso à Castro li. de her. in verb. Christum. her. 3. cui adde Soeratem li. 7. Græcæ hist. eccl. 32.

Sanciam synodum Chalcedonensem. Conueniunt omnes quot quot huius synodi meminere, eam celebratam fuisse sub Leone Rom. Pontifice, & Martiano Augusto, qui, si ratio temporis obseruanda sit ab anno, quo Theodosius iunior mortem obiit, regnare cepit anno dom. 453. ex Mattheo Palmerio. Annus vero, quo Theodosius mortuus est consules habuit Valentinianum 7. & Abiennum: authoribus Cassiodoro, Marcellino, & Haloandro, qui eos aptat anno do. 452. qua ratione quidam annos imperij Martiani ab anno primo post mortem Theodosij connumerant, & scripsere ipsum imperiū obtinuisse anno domini 453. cōsulis eodem Martiano Augusto, & Adelphio, qui primi consules fuere post mortem Theodosij, sic sane Io. Lucidus ab anno dom. 453. numerat annos imperij Martiani. Quod si Theodosius obiit anno Dō. 452. & ab eo tēpore statim anni Martiani numerentur, idē annus erit primus Martiani. At Her. Cōtractus Theodosij mortē aptat anno 449. & primū Martiani numerat annū 450. Paul. Diaconus Martiani primū annum tribuit anno ab vrbe condita 1204. qui iuxta Haloandrum est annus dom. 453. Hæc ideo adnotauit, vt iuxta frequentiore magisq; receptam temporis rationem hæc synodus non potuerit adscribi anno, qui præcesserit annū 452. vnde Palmerius hanc synodum tribuit anno secundo Martiani, & Dom. 454. Faustinus Cretenfis in Epitome anno Do. 456. & 26. post tertiam synodum. Pfellus vero, & Nicephorus anno 13. post tertiam, & Ephefinam. Marianus Scotus anno do. 452. consulis Opilone, & Vincom. Ioan. qui tamen conueniunt anno dom. 455. ex Haloandro. Marcellinus scribit, hanc synodum celebratam fuisse indictione 4. Martiano Aug. & Adelphino cōsulis, qui consules, authore Haloandro, respondent anno dom. 453. Indictio vero conuenit anno Dom. 451. eiusdemq; indictionis mentio fit in actione prima huius concilij, cuius titulus refert ab Aera annum 488. qui respondet anno 451. consules autē illic adscripti, Valentinianus 7. & Auicnus anno 452. cōueniunt, vt modo obseruauimus: ex quibus satis cōstat, quata sit tribuenda chronici fides, his maxime, apud quæ ratio tēporis scribitur numeri notis, in quibus facilis est lapsus, saltē facilius, quā si numerales dictiones integre ex omnibus literis scriberetur. Nā & Nicephorus li. 4. c. vii. scribit, Theodosiū iuniorem mortem obiisse anno Domi. 460.

In hac vero synodo legati fuere sedis Apostolicæ, eiusq; Pontificis Leonis primi Palchastinus, & Eucentius Episcopi, & Bonifacius presbyter. sicuti constat ex prima actione, & Euagrio li. 2. c. 4. quamuis Necephorus li. 15. cap. 2. Bonifacium tacuerit. Conuenere autem sexcentum Episcopi ex Mattheo Palmerio. aut sexcentum triginta sex ex Nicephoro c. 2. sexcentum triginta ex Hidooro ca. 16. li. 6. Etymol. ca. 2. dist. 15. ex Beda cap. 6. 16. dist. & Hidooro in princ. conciliorum c. 1. 16. dist. Damnaata fuit iterum Nestoriana heresis & maximo conatu euersum est Eutychie Abbatis Constantinopolitani dogma. Qui assererat, post verbi diuini incarnationem & carnis, ac diuinitatis vniōnem, statim carnem conuersam fuisse in deitatem, atque inde cogebatur multa contra catholicā fidem nefanda & absurda confiteri. de quibus legit Alfonso à Castro li. de her. dictione Christum her. 4.

Hæc sunt quatuor concilia vniuersalia, quæ primū celebrata fuere, & quæ in ecclesia Catholica maximum nomē, & maiestatem semper obtinuerunt. vt constat ex ca. sicut. sancti & c. 1. 15. dist. nos reddentes. §. suscepimus. Cide summa trind. quicunque C. de her. & in Autho. eccl. tit. in prin. Sed & Gelasium alia multa cōcilia præcesserunt, quæ ipse recipienda fore censet nec quemadmodum & illa, & quæ ad hanc vsq; diem celebrata fuere, Christianæ religionis professores recipere tenemur.

CAP. XVI.

De libris, qui ex Gelasio Agiographi dici iure poterunt.

SYMMARIA.

1. Agiographi libri qui dicantur.
2. De beato Cypriano, quo tempore scripserit, & de beato Athanasio.

3. De Gregorio Nazianzeno, Basilio & Chrysostomo.
4. De Theophilo, & Cyrillo Alexandrino.
5. De Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & Prospero Aquitano.
6. De epistola Leonis Papæ, & de epistola Decretalibus.
7. De martyrum historiis, & de eius patrum.
8. Actus beati Syluestri, quam auctoritatem habeat, & de Eusebio Constantini Magno.
9. De inuentione sanctæ crucis, & capite domini Iohannis Baptistæ.
10. De Rufini operibus, & de Origina scriptis.
11. De Oratio, Sedulo, & Inuenca.

Am nunc subiendum est, inquit Gelasius, de opusculis sanctorum patrum, quæ in ecclesia Catholica recipiuntur. Ex his Gelasij verbis libenter ipse adnotauerim ad distinctionē canonicorū librorū, de quibus in princip. huius capit. actum fuit, & deinde Apocryphorū, de quibus in vltima eius parte tractabitur. Agiographos libros ꝑ dici in ecclesia Catholica eos, quos eadem ecclesia probat, vt publice legerentur ad edificationē fidelium, non tamen haberent canonicam auctoritatē ad probanda ea, quæ ad fidem pertinent irrefragabili probatione. Huiusmodi erant olim apud Hebræos *Eclesiasticus*, & *Sapientia* deduciturq; hæc librorū Agiographorum definitio ex multis, potissimū ex Augustino lib. 18. de ciuit. Dei. c. 38. qui eos distinguit à canonicis, inquit, ac si illa pertinerent ad vbertatē cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custoditur canon. Sed & Rufinus in expositione Symboli ad hæc scribit de his Agiographi scripturis: quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatē ex his fidei confirmandā. In hac significatione Agiographa Hieronymus accepit in præfationibus in *Tobiam*, & *Iudith*, scribens, eos libros olim extra canonem sacrarum scripturarū numerari Agiographa: tamen idem Hieron. in prologo Galeato in libros Regum, Agiographos libros dici existimat, eos qui canonici sunt, distinguuntur tamē à quinque libris Moysis, & ab octo Prophetarū, quæ canonici libri veteris Testamenti olim distinguerentur in tres ordines, quorū primus quinque; libros Moysi, secundus Prophetas, tertius Agiographa possideret: qua ratione D. Hieron. quo in loco vltus est hæc stricta significatione, Apocryphos libros appellat omnes, qui sint extra canonē: quo vero in loco latiori vtitur dictionis sensu, Agiographos nominat eos libros, qui licet sint extra canonē, pertinent tamen ad vbertatē cognitionis, legique in ecclesia possunt, & poterunt olim apud Hebræos: quos tamen alibi Apocryphos dixit ex eo, quod extra canonem essent, obseruata quadā dictionis ampliori significatione: nam qui dicantur proprie libri Apocryphi, seq. cap. tractabimus. Sic sane Hieronymi verba sunt intelligenda: quod & Ioan. Driedo admonet lib. 1. de dogmat. eccl. cap. 2. & cap. 4. Igitur Agiographi libri dicuntur, qui licet sint extra canonem, sine periculo fidei, & cum adificatione fidelium leguntur publice in ecclesia, quorum de numero sunt hi, qui à Gelasio in hæc 2. huius c. parte nominatim referuntur.

Opuscula beati Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi. Primas inter scriptores ecclesiasticos, quo ad ordinem, & antiquitatem tribuit Gelasius Cypriano, ꝑ qui natione Afer primū gloriose Rhetoricam docuit: exinde suadente presbytero Cæcilio, quo & cognomen sortitus est, Christianus factus, ac paulo post in presbyterum electus Episcopus Carthaginensis constituitur, ac demum præclarissimis scriptis operibus passus est sub Valeriano, & Galieno principibus octaua persecutione eadem die, qua Romę Cornelius Papa, non tamen eodem anno. Hæc Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis. idem fere scribit Eusebius in chronicis adiciens, martyrio coronatum fuisse anno Domini 259. annis quinque post Cornelij martyrium. tamen Nicephorus li. 5. cap. 27. tradiderit, Cyprianū passum fuisse sub Decio in Deciana persecutione, qua septima fuit, quo in loco & de Cypr. aut conuersione Necephorus quædam commemorat, quæ satis differunt ab his, quæ Hieron. scripserat. Ceterū hic Martyr illustrissimus cum multis Africæ, Numidizæ, & Mauritaniz Episcopis in illū incidit errorē, vt existimaret, semel ab hæreticis baptizatos, iterū baptizandos fore. Simplex fuit apud Cyprianū error, non ex ambitione, malitiave, sed odio in hæreticos feruentissimo ipse vir sanctissimus cōcilio apud Africam hæc de re celebrato, quod inter eius opera extat, definiuit, hæreticos, cum ad cōmunē redierint, fore baptizandos: quia, vt asserbat, in hæreticos nō potest cōferri baptisma, paratus sane proprie mutare sententiam, quam & ipsi Africani Episcopi mutauerunt à Cornelio, Lucio, Stephano summis Pontificibus edocti. Vnde Cyprianus, & alij, qui eidem accesserunt, propter hunc errorem non sunt hære-